


Georg Radow


Amplissimae Facultatis Iuridicae in Universitate Rostochiensi Decanus, Georgius Radovius, I.U.D. & Prof. Publ. Suo & totius Collegii Iuridici nomine Ad Disputationem Inauguralem Dn. Laurentii Rahnen, Rostochiensis, die II. Octobris, pro consequendis summis in utroq[ue] iure honoribus & privilegiis, habendam, Magnificum Dn. Rectorem ... observantia atq[ue] humanitate invitat

Rostochii: Kilius, 1673


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742720659>


Druck Freier  Zugang





Ph. - 197 (28.)
Ph. - 197 (28.)





37.
Amplissimæ Facultatis Juridicæ
in Universitate Rostochiensi

DECANUS, ~~AMM~~

GEORGIUS

RADOVIUS, ~~24~~

J. U. D. & Prof. Publ.

Suo & totius Collegii nomine *de*

AD *feudis*

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

DN. LAURENTII RAHNEN,

Rostochiensis,

*die II. Octobris, pro consequendis summis in utroq;
jure honoribus & privilegiis, habendam,*

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

Amplissimum Utriusq; Reipublicæ Sena-

tum, & cæteros omnes, omnium Ordinum Cives

academicos, ac Literatos, ea, qua par est,

observantia atq; humanitate invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

Non ultima, nec exigui momenti illa rerum est divisio, quæ
aliæ dicuntur allodiales, aliæ feudales. Nimirum magis
notum est, quam ut probari debeat, homines vel propri-
um sibi habere patrimonium & liberum, quodq; à nemine
tenent nec recognoscunt, nisi forte ratione jurisdictionis: vel
gaudere jure quodam in re, sub lege mutuæ fidelitatis constituto,
cujus vi ac virtute, re illâ uti frui, deque illâ pro arbitrio, restricto
tamen quodammodo & ab alio dependente, disponere possint.
Illud barbaro vocabulo vocant allodium, cujus appellationis ori-
go vid. ap. Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 2. aph. 11. n. 2.* quo nomine non
bona saltim per hereditatem acquisita, sed & ea, quæ olim ex com-
parato aut ex conquiritu dicebantur, comprehendimus *conf. Speid.*
Spec. jur. voc. Lehen. addit. 1. Hoc verò corrupto latino sermone
Gothi Feudum dixere, à fide sc. seu fidelitate, uti ipsi Juris Feu-
dalis compilatores tradunt *2. Feud. 3. §. 1. in fin.* sicut & hodiè Italicâ
linguâ, quæ intuitu Hispanicæ & Gallicæ, Latinæ propago minus
corrupta putatur *Gesnero in suo Mithridat. p. 3.* fides dicitur sede.
Cæterum de priori bonorum genere non occurrit, ut in præsen-
tiarum agamus; de altero potius, occasione hujus Disputationis
Inauguralis, quædam præfabimur. Feuda igitur antiquissimi tem-
poris esse multi probant *ex text. 1. Feud. 1. §. 1. vers. antiquissimo,*
putantes cum primis Imperiis, adeoque fere cum genere huma-
no, in societatem civilem collecto, extitisse, Regibus Principibusq;
hocce adminiculo infirmam adhuc, & crescentem potentiam,
corroborare conantibus. *vid. Niell. Diss. Feud. 1. thes. 1.* Verùm,
rem curatius inspicienti apparet, antiquissimum hic dici tempus
non absolutè, sed relatè, eodem ferè modo, quo verus vinum di-
citur, quod non est novum *l. 11. ff. de trit. vin. & ol. leg.* & quare
antiquissimum feudorum usum non diceret Gerardus, qui anno
1150, adeoq; sex seculis post Longobardorum in Italiam adventum
hæc scripsit? Non potiori nituntur argumento, qui Romanis il-
lorum originem adscribunt, cum jure Clientelari, aut militiis,
aut fundis limitrophis, prædiisvè stipendiariis, aut cum ipso ho-
minum

minum Romanorum jure Feuda confundentes. Sed hos fecellisse
similitudinem quandam, quam hæc cum illis habent, reverâ au-
tem inter se esse distincta, quis non videt? *Bernegg. ad Tac. quest. 71.*
sicut & satis liquere arbitramur, usumfructum, emphyteus in
precariam, Censum, Libellum longe ab his diversa esse jura,
quamvis in quibusdam inter se convenientia *vid. Schnob. Diss.*
Feud. 1. thes. 14. 22. seqq. Idem dicendum videtur de Timariotis
Turcarum, *de quibus vid. Bodin. lib. 2. de Republ. c. 2. de Devotis si-*
vè Soldariis Gallorum Jul. Cesar. de bell. Gall. lib. 3. pag. m. 67. de
Feudis Japonensium Lud. Molin. de just. & jur. Tract. 2. Diss. 485.
n. 2. de Majoratu Hispaniæ & bonis Coronæ in Lusitania. vid.
Struv. c. 1. aph. 3. n. 8. Germanis autem Feudorum originem debe-
ri multi evictum dedere, cujus rei, præter multa alia, fortissimum
est argumentum, quod in aliis locis, quàm ubi Germani sedes
posuerunt, illorum usus non vigeat *Grot. de jur. bell. & pac. lib. 1.*
c. 3. n. 23. ibiq; Ostand. A Francis enim in Galliam, à Longobardis
in Italiam sunt introducta, in quibus terræ regionibus frequen-
tem, & potissimum eorum usum esse, scriptores memoriæ tradunt
vid. Molin. Comment. in Consuet. Paris. tit. 1. pr. n. 12. seqq. Hinc et-
iamnum feuda quædam Francici, quædam Longobardici juris di-
ci, testatur *Speidel. voc. Lehen.* Non enim Longobardi soli iis usi
leguntur, sed & Gothos, (quamvis de his dissentiat *Giphan. tr. de*
jur. feud. c. 2. n. 2.) Vandalos, Allemannos, Francos, Burgun-
diones, Anglos, Saxones, nationes omnes Germanicas, quæ par-
tes optimas Imperii Romani bello occuparunt, suas singulos le-
ges, aut mores de feudis habuisse, tradit *Grot. d. Tract. 1. 2. c. 7. n.*
21. ibiq; Ziegler. Cæterùm illorum omnium constituendorum non
una videtur fuisse causa, atque occasio, sed populos hosce, vel oc-
cupatas terras ducibus suis aut aliis in feudum concessisse; vel
victores fundos quosdam devictis sub nexu feudali reliquisse; vel
denique ipsos fundorum dominos, ex affectu erga superiores, aut
necessitate coactos, propter tutelam se, suaq; illis eâ Lege subje-
cisse, ex historia prolixius deducit *all. Struv. n. 3. 4. 5. 7.* Sed nec mi-
nor

nor hodiè, ac olim, in Germaniâ nostrâ Feudorum deprehenditur usus, cum tota Magnatum & Nobilium, imò & civium quædam substantia in hoc bonorum genere consistat; imò statum reipublicæ nostræ, qualis aliquot abhinc seculis stetit, intuenti apparet, nihil esse, quo minus carere ad sui conservationem possit, quàm feudis, quibus everlis, rempublicam quoque everti, & interire autumat *Rittersb. partit. feud. proœm. p. 22.* E contra Germaniam invictam fore censet *Job. Georg. Besold. in Dissert. de orig. feud.* si res ad priorem statum revocaretur, hoc est, si feuda in liberâ Principum munificentia adhuc starent: cum enim militibus bene meritis præmia, Viris strenuis honores, Imperio fortissimum, exercitus robur, & perpetuam militiam, absque ararii publici diminutione, subministratura. *Conan. Comment. lib. 2. c. 9.* Imò, qualia adhuc hodiè sunt, ea fulcrum Romani Imperii, salutem Principum, & anchoram rerum publicarum vocare non dubitat *Gadd.* Unde satis apparere arbitramur, quàm utilis, imò quàm necessaria sit juris seu Consuetudinum Feudalium cognitio, & quàm non negligenda illi, qui consummatæ Juris, Civilisq; prudentiæ gloriam captat. Testis est *Carpzov. Praef. ad Syn. Feud.* hoc jus non saltim apices & thesauros Principum, sed & sapientum Virorum ingenia & calamos omni ætate mirabiliter exercuisse; & unum quandoque casum ad ditandum hominem sufficere ex *Rebuff. arbor. Feud.* notat *Schrad. Tract. Feud. Proœm.* Cæterum sciendum est ex omnibus feudorum consuetudinibus, quæ, secundum diversorum locorum & curiarum mores, fuere diversæ & variæ, 2. *Feud. 1.* solas Longobardicas eo nomine apud nos venire, quæ & literis consignatæ in Libros Feudorum, Corpori juris civilis annexos, sunt redactæ. Horum librorum compilatio nulli certo auctori adscribi potest, sed, quoniam confusio rerum, & titulorum repetitio satis indicant, nō nisi rapsodiam quandam esse, non injuriâ creditur, illos à privato quodam, tempore *Friderici I.* ex variorum Prudentum, & propriis quoque observationibus ac annotationibus, esse collectos. *arg. 2. Feud. 25. Schnob. Diss. Feud. 1. 1. 6.*

Sed

Sed & Imperatorum quorundam constitutiones, veluti Lotharii I. CONRADI II. HENRICI III. CONRADI III. Lotharii III. hinc inde dispersas invenimus; imò & Urbani Papæ quædam allegatur Constitutio. *Feud. 6.* Cum igitur de Authore compilationis horum librorum non constet, posset forsitan etiam eorum auctoritas in dubium vocari, cum tamen permagni nostra intersit, ut de eâ certi simus. Equidem non possumus assentiri illis, qui Imperiali auctoritate confirmatos & promulgatos esse opinantur. Sunt enim, qui Friderico I. id ipsum adscribunt, nixi testimoniis *Roderici in Append. ad histor. Otton. Episc. l. 2. c. 7. & Guntheri de gestis Imp. Frid. l. lib. 8. vers. 590. seqq.* quorum ille Collega fuit Ottonis Episcopi, patris Friderici I. hic vero ipsi Cæsari adfuit in obsidione Mediolanensi teste *Peucero p. 724. lib. 4.* Alii Friderico II. id ipsum tribunt, *Odosfred. ad auth. cassâ C. de S. S. Eccles.* Nonnulli Friderico III. id acceptum ferunt. *Iason. in pralud. Feud. proœm. vid. Rittersh. in proœm. part. feud.* Petrus Heigius omnibus tribus Imp. Fridericis auctoritatem librorum Feudalium adscribit *quest. iur. part. 1. quest. 7. n. 51. & proœm. Const. Just. vers. omnes verò populi n. 17.* Verùm omnes hæc opinioniones erroris arguit *Casspar. Bitschius Comment. in Consuet. Feud. proœm.* ubi latè hanc materiam tractat. Quamvis igitur Imperatoriam auctoritatem expressam illis denegemus, tacitam tamen ipsis indulgere forsitan rationis foret. Fridericus enim I. non modò eos non damnavit, sed additis quibusdam constitutionibus auxit & declaravit. Fridericus quoq; III. librum Feudalem, non illum quidem, quem habemus, sed alium elegantiozem, magisque methodice collectum, ac ab Antonio de Prato veteri, Jcto Bononiensi conscriptum promulgasset confirmassetque, ni Papa ipsi obstitisset, ipseque postea liber amissus esset, referente *Goldasto in præfat. Germ. tom. 1. Statut. & Rescript. Imp.* eo ipso mores hosce Feudales approbans. Imò per tot jam secula Imperatores Jus hoc Feudale in Imperio tolerarunt, corpori juris adjectum, glossis illustratum, in scholis receptum & explicatum, in Consiliis & Responsis allegatum, in fo-


ro & iudiciis usurpatum, ita ut de tacita ipsorum approbatione non sit dubitandum. Quamvis itaq; ex dictis constet, autoritatē legis scriptæ eidem maximam partem denegari, (scriptura enim, quæ ei jam in esse constituto supervenit, illud scriptum non facit, quicquid repugnet *Niell. Diss. Feud. 1. tb. 2. lit. a.*) nihil tamen obstat, quo minus vim juris non scripti eidem attribuamus: ab usu enim & diuturnis moribus, consensu utentium comprobatis, qui legem imitantur §. 9. *Inst. de J. N. G. & C.* robur & esse suum habet, ad quod introducendum tacito illo, quem diximus, superiorum assensu omninò opus erat. Dicendum igitur erit, ratione Imperii Romani, jus commune & generale in libris Feudorum contineri; ita ut ubique in toto Imperio obtinere intelligatur, nisi quid postea, contrariâ consuetudine aut lege, sive in universum, sive certo aliquo in loco receptum, aut constitutum inveniatur *vid. Birsch. all. loc.* sicut de Saxonîâ id ipsum testatur *Struv. c. 1. apb. 8.* Illud tamen non est prætereundum, autoritatem illam, quam huic juri tribuimus, ad ordinaria proprie capitula pertinere, non ad extraordinaria, quæ & apocrypha dicuntur, & habentur post *tit. 58. lib. 2.* deinde, non esse extendendam ad materiam non feudalem, tunc enim non valere necessariò, sive ut leges & jura, sed tantum probabiliter, sive ut rationes. Hæc de argumento aliàs prolixiori pro instituti ratione sufficiant dixisse. De ipsa enim Feudorum naturâ in præsens differere non licet, multò minus de subfeudis, quæ à Vasallo ipso, in alium, ad serviendū habili, iisdem legibus & pactis, quibus ipse à domino suo habet, sincerè conferuntur. Ultimum sane hoc doctissime pertractavit Prænobilis atq; Clariss. DN. LAURENTIUS RAHNE, Juris Candidatus eximius, in Disputatione suâ Inaugurali, de SUBFEUDIS conscripta. Natus is est (ut vitam moresq; ejus inculpatos publicè ostendamus) hic Rostochii, Patre, VIRO Nobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo DN. HENRICO RAHNEN, J. U. D. & Academiae hujus quondam Professore Publ. meritissimo, Ducalis itidem Consistorii Adessore gravissimo, & Matre ELISABETHA Stiefen!


fen / Magnifici atque Consultissimi DN LAURENTII Steffen/
Academiae hujus P. P. Ducalis itidem Consistorii Adfessoris, pri-
mum Cancellariae Gultroviensis Directoris, deinde Dicasterii Pro-
vincialis Vice-Præsidis, filiâ, matrona omni virtutum decore spe-
ctatissimâ. Avum paternum laudat Nobiliss. atq; Ampliss. Virum
DN. HENRICUM RAHNEN, Civitatis Brunsvigæ per aliquot
annos Syndicum, tandem Celsissimæ Ducis Luneburgensis Vi-
duæ Cancellarium meritissimum. Optimi hi parentes, cum
optimæ spei indolem, nonnullasque paternarum Virtutum scin-
tillas in filio hocce emicantes animadverterent, educationem
ejus non superfuntoriâ curâ susceperunt. Fidei quippe & indu-
striae primùm JOHANNIS HARDENII, per octennium, postea
M. LOCHNERI, M. CORNELII PITTELI, hoc tempore Scholæ
Gultroviensis Conrectoris fidelissimi, ad indolem ejus forman-
dam commiserunt, sub quibus non mediocres in literis progres-
sus fecit. Missus deinde ad Scholam Wismariensem, sub auspi-
cio DN. BUNSOVII, tum temporis ibidem Rectoris meritissimi,
egregiam navavit operam: Sed insperatus DN. Patris obitus, ipsi
pariter ac omnibus bonis lugendus, inde eum domum revoca-
vit. Hic quoque non destitit indefessum studiorum suorum
continuare cursum, usus imprimis operâ Nobilissimi Amplissimi
atque Consultissimi DN. JAC. SEBASTIANI LAURENBER-
GII, J. U. D. & P. P. uti & Ducalis Consistorii Adfessoris excellen-
tissimi, Collegæ nostri, dum viveret, honoratissimi, qui huma-
nioris literaturæ, ipsiusque Juris Romani præceptis illum felici-
ter instruxit. Anno 1664. exteras petiit Academas, & primò qui-
dem Francofurtum ad Oderam, ubi inter alios Excell. DN.
BRUNNEMANNUM, & DN. DECHERUM, Jctos & Ante-
cessores celeberrimos, per biennium non sine egregio fructu au-
divit. Reversus, occasione itineris ad Aulam Wolfybuttellæ,
nam propter certa negotia suscipiendi, salutavit Juliam, urbesq;
alias ac Ducatus vidit inclytissimos. Cum fratre deinde Ger-
mano Regiomontum profectus, primum eruditionis in juris stu-
dio


dio acquisitæ edidit Specimen, publicâ Disputatione de Usuris, quam proprio Marte elaboraverat, Sub Præsidio Excell. DN. WOLDERI, J. U. D. & Prof. Ordinarii, habitâ; frequensque fuit in visitando Tribunali Electorali. Post anni verò & dimidii spatium domum revocatus, exteræ doctrinæ patriam adicere destinârat; Sed Generosus DN. TONNIES RANTZOW, Eques. Tri dignitate maximè splendidus, Castri Arensburgi, propè Hamburgum, & Commendaturæ, propè Chilonium, Dominus hæreditarius, eum Ephorum filiorum suorum petiit, cui spartæ per triennium & quod excurrit, vigilanter præfuit. Redux inde factus, nomen suum Amplissimæ Facultati nostræ professus est, superatoque summâ cum laude, privato Examine, sic satis rigoroso, nihil restat quàm ut publico quoque sistatur. Cui actu cum 2. Octobr. dictus sit dies, ut is tanto reddatur illustrior, Ego meo, & Ampliss. Facultatis nomine, Magnificum DN. Rectorem, Admodum Reverendos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos, Clarissimos, Præstantissimos Dominos Professores, Doctores, Licentiatos, Verbi Divini Ministros, linguarum acq. artium Magistros, omnes denique Literatos & Literarum Fautores, eâ quâ par est obsequantia, & humanitate invito.


P. P. sub sigillo Facultatis d. 21. Sept.
A. O. R. M. DC, LXXIII.












fen / Magnifici atque Consultissimi DN LAUR
Academiae hujus P. P. Ducalis itidem Consisto
rium Cancellariae Gustavoviensis Directoris, dei
vincialis Vice-Præsidis, filiâ, matrona omni viri
ctatissimâ. Avum paternum laudat Nobiliss. at
DN. HENRICUM RAHNEN, Civitatis Bru
annos Syndicum, tandem Celsissimæ Ducis
duæ Cancellarium meritissimum. Optimi h
optimæ spei indolem, nonnullasque paternaru
tillas in filio hocce emicantes animadverteren
ejus non superfunctoriâ curâ susceperunt. Fid
striae primùm JOHANNIS HARDENII, per
M. LOCHNERI, M. CORNELII PITTELII, ho
Gustroviensis Conrectoris fidelissimi, ad indo
dam commiserunt, sub quibus non mediocres
sus fecit. Missus deinde ad Scholam Wismari
cio DN. BUNSOVII, tum temporis ibidem Re
egregiam navavit operam: Sed insperatus DN
pariter ac omnibus bonis lugendus, inde eun
vit. Hic quoque non destitit indefessum stu
continuaie cursum, usus imprimis operâ Nobil
atque Consultissimi DN. JAC. SEBASTIAN
GII, J. U. D. & P. P. utri & Ducalis Consistorii A
tissimi, Collegæ nostri, dum viveret, honorat
nioris literaturæ, ipsiusque Juris Romani præ
ter instruxit. Anno 1664. exteras petiit Academ
dem Francofurtum ad Oderam, ubi inter a
BRUNNEMANNUM, & DN. DECHERUM
cessores celeberrimos, per biennium non sine e
divit. Reversus, occasione itineris ad Aulam
nam propter certa negotia suscipiendi, salutavi
alias ac Ducatus vidit inelytissimos. Cum fr
mano Regiomontum profectus, primum erudi



effen/
is, pri
riiPro
re spe
Viruna
liquot
sis Vi
cum
n scin
onem
zindu
postea
cholæ
rman
ogres
auspi
ssimi,
us, ipsi
voca
orum
ssimi
NBER
ellen
uma
felic
o qui
DN.
Ante
u aus
tella
besq;
Ger
is stu
dio